



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -
Cum Indicibus

Strauch, Johann

Jenae, 1674

Cap. III. Ad cap. 7. & 9. x. de aetat. & qualit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10241

CAP. III.

Ad cap. 7. & 9. x. de ætat. & qualit.

S U M M A R I A.

- | | |
|--|---|
| 1. Capituli 9. argumentum. | 4. Concilium Beneventanum, |
| 2. Sacri ordines quinam intelligantur. | ignotum Criticis Gregorianis, & inde error. |
| 3. Decretum Urbani in can. Nullus. dist. 60. non est Urbani I. Sed II. | 5. Acta concilii Beneventani huius ubi exstent. |
| | 6. Correctio can. 4. dist. 60. |

AD Cap. 7. dixi Ecloga V. cap. 14. In cap. 9. quaritur, an Subdiaconus in Episcopum eligi possit? Ratio dubitandi, quod Urbanus primus decrevit, non eligi debere in Episcopum, nisi qui in sacris ordinibus. Sacros autem Ordines Diaconatum & Presbyteratum, Subdiaconatum autem non esse inter sacros ordines. *can. non oportet. can. ministrum. distinct. 23. & cap. miramur. infra de serv. non ordin. cavetur.* Ratio decidendi, quod hodie Subdiaconatus inter Sacros Ordines computetur. Quod pro dubitandi ratione adducitur, decretum Urbani, extat hoc *in can. nullus Episcopum. dist. 60.* Sed nota, Urbano primo hoc perperam tribui ab Innocentio Papâ, quod est Urbani II. Id decretum in Concilio Beneventano factum fuit, ut notat Ivo Carnotensis *parte 5. Decreti cap. 72. & libr. 3. Panormie. c. 5.* Hoc concilium ignorantes Critici Gregoriani, de Beneventana synodo, quæ tempore Victoris III. cui Urbanus II. successit, intelligendum admonuere *ad can. innovamus. 3. dist. 60. sed perperam.* Extant enim acta Concilii Beneventani ab Urbano II. celebrati anno MXCI. in quibus decretum illud haberi testatur Dominus Stephanus Baluzius ad P. de Marcâ. Tanto tempore post concilium, centum & amplius post Urbanum annis, ad Innocentii usque tempora, dubitatum est, an Subdiaconus in Episcopum eligi possit. Edidit jam nominatus Baluzius concilium Beneventanum *lib. 8. cap. 13. Petri de Marca de Concordiâ Sacerdotii & Imperii.* Unde corrigendus est *canon. 4. dist. 60.* Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiosè vivens inventus est. Sa-

Sacri Ordines quinam appellentur?

Ostenditur Urbanum I. nihil tale statuisse. Concilium hoc non est illud Victoris III.

Edidit hoc Baluzius.

Can. 4. dist. 60. corrigendus.